

collatio, cum prima fronte obscura & minus perspicua appareat, ut planius, & clarioribus uerbis, tanquam ob oculos, ponatur, necesse erit.

Proinde multæ licet sint æquationes ac infinitæ quodammodo, cum diuersæ propositorum ænigmatum supputationes subinde aliam atq; aliam postulent, tres nihilominus tamen ex his, priores atq; etiam præcipuas (cum quod nostra tractatio non plures requirat, tum etiam quod tribus ijs perceptis ac cognitis, facile reliquas etiam constituere, & ijs cõmodè uti quispiam possit) in præsentia ordine describemus. EST ITAQUE PRIMA AEQVATIO in qua unius quantitatis uel characteris numerus unius characteris numero æquatur. SECUNDA VERO ET TERTIA AEQVATIONES sunt, ubi tribus characteribus consignatis numeris, illic quidẽ naturali eorũ ordine, hic uerò iam uno, iam duobus uel pluribus, obseruato ordine interrupto, omisissis characteribus, numeri duorum uni, uel contrà, unius characteris numerus duobus æquatur. Et de his tribus nunc deinceps ordine dicemus, & primò quidem de processu æquationis primæ.

### AEQVATIO PRIMA.



Rima æquatio est, ubi duæ quantitates uel duo numeri, diuersis characteribus signati, inter se æquales esse proferuntur. Diuiditur in hac, ut regula de proportiõibus præcipit, minoris uel debilioris characteris numerus, in numerũ characteris maioris seu potentioris. Quia autẽ numerus exiens modò ipsius radicis, modò quantitatis cuiusdã ualorem exprimit, ubi radicis ualorẽ expresserit, quæstioni tũ statim satisfaciũ erit, atq; omnia peracta. Quod si fuerit ualor cuiusdã quãtitatis, numeri exeuntis radix inuestiganda, atq; per inuestigatam illam tandem quæstioni respondendum erit. Huius autem æquationis demonstratio & fundamentum est ipsa de Proportionibus regula, Radicum deinde inuentionis tractatio, ut quæ ambo in communi numerorum supputatione pferumq; demonstrari solent.

#### SEQVNTVREXEMPLA.

8 radices	16 N.		2
9 primæ	18 ra.	quot unitatibus æquatur	2
6 secundæ	24 pri.	una radix. Facit	4
4 quintæ	12 quar.		5
quantitates.			

Hæc nunc per resolutionem examinari poterunt.

#### ALIA EXEMPLA.

8 primæ	32 N		2
9 se.	36 ra.	Facit una radix	2
6 ter.	384 ra.		4
4 sex.	108 ter.		3

#### ADHVC ALIA.

8 $\frac{1}{2}$ pri.	34 N		2
9 $\frac{1}{2}$ se.	33 ra.	Facit una radix	2
6 $\frac{3}{4}$ ter.	432 ra.		4
4 $\frac{2}{3}$ sexta.	126 ter		3

Sic alia huius æquationis exempla præscribi possunt atq; solui etiam, ut præcipitur.

Sequuntur